

rum virtutumque in Olivero pulcherrimum ornamentum vitæ castissimæ integritas & modestia; tantæq; erga omnes fuit demissionis, ut non aliter se quàm peccatorem & servum fronti literarum inscribere solitus sit. Ita in epistolis ad Frisios, ita in epistolis ad Engelbertum Coloniensem Archiepiscopum, & præsules ejus Ecclesiæ legas. Quo deinde Spiritu Dei, quo fervore religionis inflammatus fuerit, satis ea ad Clerum Coloniensem epistola commonstrat.

Diffensio
in electi-
one Epi-
scopi.

Pontifex
causam
electionis
alijs co-
gnoscen-
dam
committit

Attamen talis tantusque vir non sine æmulo & multorum invidia ad Episcopatum Paderbornensem pervenit. Quippe superiori Episcopo mortuo, Paderbornenses in factiones abiere; eo fœdiori malo, quòd hæctenus nunquam ejusmodi schisma in electione Episcopi Paderbornensis intervenerat. Abbas Cœnobij Abdinghoviani cum suis Monachis, & Canonici Bustorfiani Collegij elegerunt Henricum, Bustorfiani Collegij Præpositum. Quibus præ ceteris accessere Wernerus, Bernardus, & Hermannus fratres Præpositi, milites Brakelenses. Ceteri Cathedralis Ecclesiæ Præsules & Canonici è Clero primario, quorum longè major saniorque pars erat, suis suffragijs convenere in Oliverum. Res in magnum dissidium & turbas vergebat, cum & nobiles, & Ministeriales, & cives Paderbornenses traherentur in partes; ut genus illud passim pronum erat sacris se immiscere: & res ipsa non tam nova, quàm temeraria, fœdaque erat, audire Monachos & Clerum Secundarium, quòdinaudum erat in Ecclesia Paderbornensi, sibi electionem Episcopi vindicare adversus majoris Ecclesiæ Canonicos: totamque diocesin intestina seditio- ne conturbare. Quapropter à Collegio Cathedrali per justas querelas appellatum ad Honorium Pontificem, supremum hujus controversiæ Judicem. Pontifex consultè primam causæ dissidijq; cognitionem, ut de electione ad se referrent, commisit Abbati Vallis S. Petri, Cœnobij videlicet Heisterbacensis, Præposito, & Decano Coloniensis Ecclesiæ. Quod hæc Pontificis literæ docebunt.

Honorius Episcopus Servus servorum Dei. Dilectis filiis Abbati Vallis S. Petri Cisterciensis. Ordinis Coloniensis diocesis, Decano et Præposito Coloniensis. salutem et Apostolicam benedictionem. Ad audientiam nostram, dilectis filiis Præposito, et Decano, ac quibusdam Canonicis Paderburnen. Ecclesiæ significantibus, noveritis pervenisse, quod Abbas, et Decanus, et Canonici S. Petri Paderburnen. Wernerus, B. et H. fratres ejus milites de Braele, et quidam alii Paderburnen. Civitatis et diocesis in eorum Ecclesiam temere irruentes, ac molientes ipsius Episcopatum Henrico ejusdem Ecclesiæ Canonico sua conferre potentia, ipsum de facto in Episcopum eligere præsumserunt. Quare petierunt humiliter, ut cum occasione hujusmodi gravi damna incurrerint, eos ad satisfaciendum de tantæ præsumptionis injuria, et damnis, quæ incurrerunt occasione prædicta cogere dignaremur. Quia vero nobis non constitit de præmissis, discretionis vestre per Apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis,

catis,